Diss. Breslau
1905
A. Eichenberg.

DE PERSII SATIRARUM NATURA ATQUE INDOLE.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT ET AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA VRATISLAVIENSI

RITE IMPETRANDOS

DIE III MENSIS AUGUSTI ANNI MCMV HORA XI

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

AUGUST EICHENBERG,

RHENANUS.

ADVERSARII ERUNT:

F. STEPHAN, CAND. PHIL.

W. FELSCH, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
H. FLEISCHMANN
MCMV.

Breslau.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit **F. Skutsch.**

Alteram partem, qua demonstratur, quem fontem Persius in argumentis secutus sit, postea in lucem proferam.

FRANCISCO SKUTSCH

SACRUM

PROOEMIUM.

O curas hominum, o quantum est in rebus inane
,quis leget haec?' ,min tu istud ais? nemo hercule'. ,nemo?'
vel duo vel nemo. ,turpe et miserabile.' quare?
ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
praetulerint? nugae. non si quid turbida Roma
elevet, accedas examenve inprobum in illa
castiges trutina, nec te quaesiveris extra.

Quis hoc Persii satirae primae initio lecto negabit poetam esse, quod attinet ad stilum, diatribae sectatorem? Nam primo obtutu eam rhetoricam artem, quam diatribae propriam esse omnes, qui de ea fecerunt verba viri docti, consentiunt, his in versibus videmus adhibitam: breves et abruptas elocutiones, rogationes alacres, interiectiones, imprimis adversarii ficti inductionem.

Itaque mirum est neminem adhuc demonstrasse Persium diatribis usum esse, praesertim cum saepius viri docti de poetae elocutione fecerint verba velut Josefus Šornius [1]). Neque Kuester, qui scripsit tres commentationes ,De A. Persii Flacci elocutione' [2]), in quibus praebet vir doctus quaestiones de poetae consuetudine loquendi, ullam generis stili rationem habuit.

Itaque cum neque Šornius neque Kuester eam, quae mea quidem sententia sola recta est, viam sint ingressi ad disquirendas leges sermonis Persii, (uterque enim ex poeta

---

1) ,Die Sprache des Satirikers Persius' Laibach 1890.

2) Loebau, Westpreussen 1894, 96, 97.

ipso eas enucleare vult), ipse mihi proposui sermonem eius perscrutari.

Agam igitur in priore parte de Persii genere dicendi Bioneo. Ac primum quidem disseram de sermone cotidiano a Persio adhibito, deinde de ornamentis artis rhetoricae, quae saepe in diatribis inveniuntur, tum de eis figuris, quae quamquam hic illic ab aliis scriptoribus ponuntur, tamen omnes una solum apud diatribarum scriptores leguntur.

In parte posteriore verba faciam de argumentis Persii diatribae propriis.

Quibus in rebus tractandis multum iuvamur eo, quod dissertationem scripsit Henricus Weber ‚de Senecae philosophi dicendi genere Bioneo' Marpurgi Cattorum 1895. Is enim in capite secundo verba fecit ‚de sermone Bioneo' (pag. 6—33) ubi quid generis dicendi Bionei proprium esset exposuit.[1]) Eius ego vestigia premere in animo habeo ea ratione, quam supra exposui.

Atque iam a principio concludere possumus Persium, ut erat stoicus, e stoicorum ratione, qui Bionis stilum in usum suum vocaverunt[2]), eandem dicendi rationem esse secutum.

Sed iam medias in res progrediamur et agamus:

A. De Sermone cotidiano a Persio adhibito.

Diatribarum auctores vocum partem hauserunt e sermone cotidiano, quem morem secutus est Persius. Itaque versibus multa inseruit deminutiva, quae saepe in sermone

---

[1]) Quae scripta perscrutatus sit, ut sermonem Bioneum enuclearet, dicit pag. 6 seq: Teletis quae supersunt, Plutarchi nonnullos libros, Epicteti dissertationes II. 16, III. 26, IV. 7, Musonii fragmentum ‚non malum esse exsilium,' Horatii satiram primi libri primam. Sane fatendum est Weberum fines eorum, quos inspexit libros ad cognoscendum Bionis, i. e. diatribae, stilum artius duxisse, quidni Musonii alia fragmenta velut ‚de optimo senectutis viatico,' ‚de exercitatione,' Epicteti plurinas dissertationes plurimasque Horatii satiras adhibuit?

[2]) quod probavit Weber in capite quarto ‚de Bioneo sermone a stoicis usurpato.'

vulgi inveniuntur, quo melius invehi posset in hominum ineptias.

§ 1. Posuit noster deminutiva irridendi et contemptionis causa his locis: I. 18 patranti fractus ocello [1]; II. 32 III. 82 labellum.

I. 108 auriculas; quo loco irrisio augetur, quod dicit poeta ‚auriculas teneras' cf. Hor. sat. II. 5, 32, ‚molles auriculae.' Vocem auriculae [2]) posuit Persius sexies, velut. I. 121 ‚auriculas asini' cf. Hor. sat. I. 9, 20 demitto auriculas ut iniquae mentis asellus. — IV. 18 cuticula, quod deminutivum Persius primus inter scriptores Latinos, quos manibus tenemus, adhibuit cf. Cooper p. 177. — V. 116 pellicula cf. Lucil. 536 [3]) Hor. sat. II. 5, 38.

Praeterea legimus: I. 22 tun' vetule, quam vocem praebent Plautus, Horatius, Martialis, alii [4]). I. 57 aqualiculus. IV. 15 VI. 50 popellus cf. Hor. ep. I. 7, 65. V. 74 tesserula [5]) cf. Lucil. 84 Cooper p. 177. IV. 37 maxilla cf. Petron. 49.

I. 51 elegidia, quocum conferas quaeso ‚ἐπιγραμμάτιον' Plut. de exilio 551, 18 alia [6]).

---

1) cf Gustav. Mueller ‚de linguae Latinae deminutivis' 1865 p. 89: Maxime adamabant scriptores vocabula deminutiva tunc, cum odium putidae mollitiae significare volebant: quae acerbitas saepissime pertinebat ad describendas corporis partes. cf. Wölfflin. Philolog. 34, pag. 153 seq. Jam Plautus vocem adhibuit, sed alio sensu. cf. Cooper: Word Formation in the Roman Sermo Plebeius. New York 1895, p. 174.

2) cf. G. Mueller p. 89. Cooper p. 173; iam Plautus praebet hanc vocem, porro legimus auriculas apud Petronium, cf. Ernest. Ludwig: ‚De Petronii sermone plebeio,' Marburgi 1869, p. 29.

3) Ubique secutus sum editionem Marxianam.

4) cf. G. Mueller p. 91 qui optime dicit: Etiam turpitudo corporis vel importunitas aetate confectorum effecit, ut, quo acrius ludibrium notaretur, ad blandam appellationem scriptores descenderent.

5) Nolo silentio praetermittere poetam metri quoque causa hic illic deminutivum posuisse praeter irrisionem. cf. vocem auriculae.

6) Enumerationem deminutivorum Persii legimus apud: Heckmannsium ‚Persiana' Monasterii 1875, p. 14. Šornium p. 27, optimam vero apud Kuesterum I. p. 9. cf. Luettichius quoque: ‚Über die Mängel und Vorzüge der Satiren des Persius' Progr. Naumburg 1877, p. 21.

Adiectiva sunt haec: III. 103 beatulus. Cooper p. 189. I. 33 rancidulus. V. 147 rubellus cf. Mueller p. 75 ,de malo vino Veientano' Mart. I. 103, 9.

§ 2. Sed adamat Persius etiam alias voces in sermone vulgi tritas et usitatas[1]). Est haec ratio eorum, qui diatribas scripserunt, quippe qui his formis e vita cotidiana haustis multum se apud populum valere putarent (praesertim cum homilias haberent apud vulgus.)

Iam videamus, quas huius generis formas posuerit.

I. Substantiva.

1) In-sor et-tor exeuntia praebet haec[2]): fossor V. 122. arator V. 102. cultor V. 63. largitor prol. 10. nugator V. 127. lector I. 126. finitor VI. 80[3]).

2) In-rix exeunt: nutrix II. 39. cultrix III. 26[4]).

3) Substantiva in -o, -onis desinentia[5]): agaso V. 76 cf. Plaut. Merc. 852 Hor. sat. II. 8, 72 cf. Cooper p. 54. — baro Lucil. 1121 Cooper p. 57. cf. Schol. Persii V. 138 ,barones servi militum qui utique stultissimi sunt'. Invenimus hanc vocem apud Ciceronem velut ad fam. 9, 26. 3 et apud Petronium c. 53 et 63. — cerdo[6]) IV. 51 cf. Cooper. p. 57. — glutto V. 112 Cooper. p. 57. — palpo V. 176 Cooper. p. 57. — calo V. 95 cf. Hor. sat. 1, 2, 44, I. 6, 103. — I. 12 Cachinno, quod afferunt Kuester et Fischius, non est hoc loco substantivum, sed verbum[7]), ut recte vertit

---

[1]) cf. Kuester I. p. 5 ,multos ex sermone cotidiano et vulgari petitas voces sine ulla dubitatione usurpavit.'

[2]) cf. Kuester I. p. 19.

[3]) Non enumero: dictator I. 74 praetor V. 114 alia.

[4]) cf. ea, quae dicit Cooper p. 58 seq. de substantivis in-tor, sor,-rix.

[5]) cf. Cooper p. 55: ,the early comic writers, the satirists, and all authors of questionable latinity abound with these forms'. cf. Šornius p. 25.

[6]) Conferas quaeso, quae hoc de nomine profert O. Crusius: Untersuchungen zu Herondas, Leipzig 1892, p. 150.

[7]) cf. Ricardus Fisch: Arch. f. lat. Lexicogr. V. p. 62/63 sq. sed praestat inspicere eius librum ,Die lateinischen nomina personalia auf o, onis', Berlin 1890, p. 86, ubi enumerat Persianas voces huius generis.

Blümner ‚Satura, Ausgewählte Satiren des Horaz, Persius und Juvenal.'

Quotiens tales voces in-o,-onis exeuntes adhibitae sint a scriptoribus, qui sermonem cotidianum secuti sunt, optime cognosces ex collectione Cooperi p. 56 seq.[1])

4. Nec minus apud Persium alia substantiva vulgaria leguntur, quae aut apud eum solum inveniuntur aut perraro apud alios poetas[2]). E magno harum vocum numero enumerabo: I. 62 V. 91 sanna. I. 133 nonaria cf. Cooper p. 51, qui dicit talia substantiva in -arius desinentia saepe adhiberi in malam partem. III. 9 pecuaria cf. Cooper p. 76. V. 13 scloppus. V. 13 bucca cf. Hor. sat. I. 1, 21 Petron. alios cf. Barta I. p. 8[3]).

I. 80 sartago cf. Cooper p. 83. VI. 74 popa venter. I. 73 dentalia. III. 75 perna cf. Barta I. p. 12, Hor. sat. II. 2, 117, iam Plaut. Pers. 105. II. 48 fertum. VI. 40 faeniseca. I. 82 trossulus cf. Varro Sescul. fr. 480 Buech. Senec. ep. 76, 2; 87, 9.

II. Adiectiva:

Ea habet poeta in deliciis, quae exeunt in syllabas -osus et-idus, a plebe saepe adhibita[4]).

1) a) adiectiva in-osus:[5]) fumosus I. 72 VI. 70. spumosus I. 96. damnosus III. 49. ramosus V. 35. lapidosus V. 58. pannosus IV. 32 [Cicero ad Attic. 4, 3, 5 Senec. de benef. V. 13, 3.]

b) Accedunt quae spectant rem medicinalem[6]) venosus I. 76 verrucosus I. 77. torosus III. 86. rugosus

---

[1]) cf. R. Fisch p. 189: Die Volkssprache erhält die subst. pers. auf o, onis u. der Volkswitz vermehrt sie. Darum sind es auch besonders Komiker und Satiriker, bei denen wir sie nachweisen können.

[2]) Multa collegit Kuester I. p. 19/20.

[3]) F Barta: ‚Sprachl. Studien zu den Satiren des Horaz'. Linz 1879 comment. I. Linz 1881 comment. II.

[4]) cf. Cooper p. 122.

[5]) cf. Schönwerth-Weyman ‚Über die latein. Adiectiva auf osus' Archiv f. lat. Lexicographie V. p. 199. — Adiectiva in -osus et -idus collegit Kuester II. p. 11.

[6]) cf. Schönwerth-Weyman l. l. p. 213 ‚Die Adiectiva, in welchen osus dem griechischen ικός entsprechend einen durchaus nicht

V. 55, 91 cf. Lucil. 430, 557 Hor. epod. 9, 14 Cooper p. 127. lapidosa cheragra V. 58 cf. Hor. sat. I. 5, 91. varicosus V. 189[1]).

2) Adiectiva in-idus desinentia afferam haec: pallidus prol. 4. callidus I. 118 V. 14. turbidus I. 5. avidus V. 150. liquidus I. 17. candidus II. 2. trepidus I. 74, V. 35. sordidus I. 128.

III. Sed etiam in verbis Persii amorem ponendi ea, quae in sermone cotidiano usitata erant, invenimus. Saepe adhibuit poeta:

1) Verba inchoativa velut: I. 109 frigescere cf. Sittl p. 479[2]). II. 47 liquescere Sittl p. 479. III. 13 vanescere Sittl p. 481. IV. 41 mansuescere[3]). III. 38 intabescere. V. 62 impallescere Sittl p. 474. alia[4]).

2) Neque desunt verba frequentativa, quae saepissime ponit populus cf. Cooper p. 206 Kühner Gram. Lat. I. p. 644. Exempli gratia affero: cantare IV. 22 saepius. dictare I. 29, 52. temptare II. 21, IV. 23, III. 113. iactare IV. 15, V. 175, alia, quae legas apud Kuesterum I. p. 6.

3) Denique permulta verba exstant quae dictionis vulgaris sunt et raro apud alios inveniuntur: I. 119 muttire cf. Terent. Andr. 505. II. 45 fortunare (da fortunare Penates = fac ut fortunent cf. Kuester I. p. 7) II. 52 incudere. III. 104 lutare. VI. 52 exossare. V. 106 tinnire. VI. 7 intepere. VI. 72 singultire[5]).

Hoc loco etiam ponantur duo illa verba, quae e nutricum sermone hausta sunt „pappare et lallare" III. 17/18 cf. scholion hunc ad locum adscriptum.

wünschenswerten Besitz oder Reichtum andeutet, entfallen zum grössten Teile in das medicinale Gebiet.

[1]) cf. pag. 18.

[2]) cf. C. Sittl: De linguae Latinae verbis inchoativis in Arch. f. lat. Lexicogr. vol. I.

[3]) Deest apud Sittelium.

[4]) cf. Kuester I. p. 5.

[5]) cf. Kuester I. p. 6.

Sed his, quae attuli, iam satis demonstratum est Persium quam plurima deprompsisse e sermone cotidiano. Qua cum consuetudine cohaerent etiam:

IV. Dictiones illae obscaenae, quarum multa sunt apud nostrum exempla, quae adhibere non dubitavit ut diatribarum auctor.

1) Substantiva huius generis imprimis leguntur in illa descriptione eius, qui ante oculos omnium penem depilandum curat:[1]) penis cf. Hor. sat. I. 2, 68 quo loco dicit muto, epod. 12, 8 penis. arcana lumbi. vulvae cf. Sen. N. Q. III. 25, 11 Pers. VI, 73. inguen V. 4 VI. 72 et Hor. sat. I. 2, 26 I. 2, 116. Sen. N. Q. I. 16, 4 (qui locus totus obscaenus est) gurgulio, nates cf. Hor. sat. I. 8, 47. Eodem loco ‚plantaria' et ‚filix' translate ponuntur in sensum obscaenum. Alia legimus: I. 103 testiculi vena paterni. I. 133 nonaria.

2) Verba eius generis praebet haec: I. 87 cevere. I. 114 meiere cf. Hor. sat. II. 7, 52. VI. 73 immeiere cf. Hor. sat. I. 3, 90 commingere. I. 112 oletum facere. III. 3 stertere III. 58 cf. Hor. sat. I. 5, 19 alias. III. 59 oscitare cf. Senec. de tranq. 2, 6.

Has omnes dictiones vulgi proprias esse nemo negabit, quibus adhibitis Persius acrius in mores ‚tortos' invehi posse sibi visus sit. Nam ceteroquin vitam eius ab his squalidis rebus et vocibus abhorruisse notum est ex eius vita[2]).

V. Jam profero eas voces, quibus significantur res in usu cotidiano necessariae velut: V. 10 caminus VI. 1 focus cf. κάμινος Plut.[3]) — III. 113 olus cf. Hor. sat. II. 7, 30. — III. 112 decussa farina cf. Plut. σητάνειος, ἄρτος, ἄλφιτον. — III. 53 polenta cf. Sen. ep. 18, 10. — IV. 31 farrata olla Telet. φυστή, πλακοῦς. — IV. 32 moriens acetum = ὀξίνης

---

[1]) In sat. IV. 35 seq. qui locus diatribae τόπος est ut in altera parte demonstrabimus.

[2]) cf. vit. Pers. ‚fuit morum lenissimorum, verecundiae virginalis . . . fuit frugi, pudicus' cf. Jahn proleg. editionis XLIII/IV.

[3]) Hac in collectione id operam dedi, ut eas afferrem res, quas H. Weber e Graecis diatribarum scriptoribus enumeravit p. 10/11. Rebus ab illo allatis numerum non adscripsi.

Plut. cf. Hor. sat. II. 2, 62 Sen. Q. N. III. 21, 2. — IV. 24 mantica = πήρα Plut. — III. 23 lutum = κέραμος Plut. cf. Sen. ep. 57, 1; 96, 3. — V. 126 balneum = βαλανεῖον Plut. permulta alia.

VI. Non praetereamus consuetudinem totos verborum ambitus e vita cotidiana hauriendi. Quos cum optime e comoediis noscamus, mihi proposui exempla Plautina et Terentiana cum locis Persianis conferre. I. 12 quid faciam? cf. Plaut. Epid. 98 Ter. Andr. 383 Phorm. 534, 40 saepius cf. Barta quoque II. 20 Hor. sat. II. 1, 24. I. 3,94 II. 1, 5. Petron. 73. — V. 134 et quid agam? Plaut. Mil. 363 Aul. 636 Ter. Andr. 639, 846 Hec. 444 saepius. — III. 5 V. 154 en quid agis? Plaut. Aul. 536 Trucul. 126 Epid. 17 Hor. sat. I. 9, 4. — V. 143 quo deinde, insane, ruis? quid tibi vis? Hor. sat. II. 6, 28 cf. Barta II. 20 ‚dass insane zu dieser Formel gehört, sehen wir aus Cic. de orat. II. 67 Prop. I. 5, 3 Persius.' Addi potest Ter. Eun. 559 ‚quid tibi vis? satine sanus'? Saepe ‚quid tibi vis' apud comoediarum scriptores legimus cf. Plaut. Epid. 19 Aul. 636 Ter. Eun. 804, 1007. — VI. 63 vin tu cf. Barta II. 20. — I. 111 nil moror Hor. ep. II. 1, 264 ut Persius in initio versus cf. Werther p. 26 Plaut. Mostell. 746 Asin. 643 Aul. 169 Truc. 259 Ter. Eun. 184. — V. 134 rŏgăs?[1]) Plaut. Epid. 64, 98 saepius Ter. Eun. 326, 436. — III. 7 itan? Plaut. Truc. 292 Rudens 971 Curc. 725. — VI. 43 o bone saepius apud Hor. cf. ὠγαθέ Barta II. 19 Ter. Andr. 616 bone vir. — III. 89 inspice sodes, conferri potest illud Plaut. Pers. 316 ‚inspicere morbum'. — II. 17 heus age, responde cf. Plaut. Pseud. 967.[2]) heus tu . . . responde. — III. 94 heus bone[3]) saepius talia leguntur in allocutione cf.

[1]) Haec formae mensura ut in comoedia ita in sermone cotidiano erat usitata. Hac observatione omnem de huius versus forma dubitationem tolli crediderim.

[2]) cf. Paulus Richter: ‚De usu particularum exlamativarum apud priscos scriptores latinos' in ‚Studemundi studiis' vol. I. fasc poster. p. 575.

[3]) cf. Richter p. 576. ‚heus certam quandam habet vim idque spectat, ut is, qui appellatur, ad ea, quae consequuntur, diligenter animum advertat'.

Ter. Andr. 84. 579. Eun. 469, 712. — I. 108 videsis ne forte cf. Plaut. Most. 966 videsis ne forte, aliter: Curc. 271 petas, ne forte Casin. 380 vide, nequa Ter. Hautont. 212 videsis ne. — VI. 50 vae saepissime velut Plaut. Asin. 306, 273. — III. 94 nihil est cf. locos, quos attulit Barta II. 21, quem hic locus effugit. — I. 23 dicas ‚ohe' cf. Barta II. 21 ubi affert: Hor. sat. I. 5, 12 ‚ohe iam satis est', alia. Plaut. Aul. 55, Ter. Ad. 723, 769. Donatus in Ter. Hautont. 879 dicit ‚interiectio est satietatem usque ad fastidium designans.'[1]) — IV. 19 i nunc V. 126 i et: saepe haec constructio aut cum asyndeto aut cum et, atque ponitur. Qua de re disseruit B. Lease in ‚The American Journ. of Philology' vol. 19 p. 59 seq. qui omnes locos composuit. Formulam ‚i nunc' non adhibuerunt Plautus, Ennius, Terentius, Comici, Catullus, semel Vergilius, bis Horatius. ‚i et' saepissime apud Plautum legimus (cf. enumerationem p. 68 a Lease prolatam), apud Terentium septies. — I. 5 nugae. V. 79 papae; saepe legimus hanc vocem apud Plautum et Terentium cf. Richter p. 613. — V. 132 heia surge cf. Plaut. Aul. 153, Most. 741, Asin. 744, Bacch. 630[2]). — II. 22 pro Juppiter cf. Barta II. 22, quem noster locus effugit. Afferendus Plaut. quoque Aul. 241 cf. Richter p. 616.

VII. Sunt vero etiam aliae voces non paucae, quibus Persium sectatorem sermonis cotidiani deprehendimus. Multas enim voces e Graecorum lingua depromptas praebet. Cuius generis voces imprimis legimus apud eos, qui sermonem cotidianum sequuntur scriptores. Quas Horatius usurpavit, collegit Barta I. 18 seq., quas Persius, enumeravit Šornius p. 26/27. Quo melius hac de re possis iudicare nonnulla exempla profero. V. 58 cheragra cf. Hor. sat. II. 7, 15 et Sen. ep. 78, 9. V. 183 thynnus cf. Hor. sat. II. 5, 44. IV. 37 gausape cf. Hor. sat. II. 8, 11.

---

[1]) Richter p. 609 ‚ohe interiectio est alterum satis esse admonentis et modo maiore modo minore vi tandem aliquando desinere iubentis'.

[2]) cf. Richter p. 539 II. c) ‚heia praecedit imperativis.'

III. 92 VI. 17 lagoena cf. Hor. sat. II. 8, 41 et Petron.[1]) c. 22. — II. 64 casia. V. 71 canthus. VI. 74 popa. V. 134 saperda alia[2]).

VIII. Relinquitur, ut afferamus proverbia, quibus apud populum multum valebant diatribarum auctores (cf. H. Weber p. 12.) Notissimum exemplum est, quod dicit avarus (Telet. p. 32, 8 Hens.) μία γάρ, φησί, χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. E magno numero nonnulla, quae e studiis et iudicio populi Persius hausit, proferam.[3])

1) E vita sunt hausta: prol. 10 magister artis ingenique largitor venter cf. Otto: ‚Die Sprichwörter der Römer' (Leipzig 1890) s. v. fames[4]). — I. 27 scire tuum e. q. s. Otto s. v. musica. Adnotare possumus nostrum ‚sein Licht unter den Scheffel stellen'. — II. 51 ‚nequiquam fundo suspiret nummus in imo' cf. Sen. ep. I. 5 ‚sera parsimonia in fundo est.' — III. 65 ‚magnos promittere montes'[5]) cf. Ter. Phorm. 68 = Otto s. v. mons. — IV. 26 ‚quantum non miluus errat'. cf. schol.: ‚secundum proverbium quantum milvi volant'. Petr. 37.

Ex Horatio pendent haec eiusdem generis exempla: IV. 42 caedimus e. q. s. cf. Hor. ep. II. 2, 97. IV. 46 ‚egregium cum me vicinia dicat, non credam?' cf. Hor. ep. I. 16, 19 schol. Pers. et Sen. ep. 80, 10 (Otto s. v. alius.) V. 52 ‚Mille hominum species' cf. Hor. sat. II. 1, 27: ‚quot capitum vivunt, totidem studiorum milia.' Otto s. v. homo 9.

2) Rationem vivendi spectant: II. 1 ‚meliore lapillo' cf. Hor. od. I. 36, 10 translate ut apud Hor. sat. II. 3, 246

[1]) Has voces Persianas non enumeravit Barta.

[2]) Voces Graecas apud Senecam collegit Otto Rauschningius: De Latinitate L. Annaei Senecae philosophi.' Regimont. Pruss. 1876, p. 45/46.

[3]) De Šornii collectione cf. Zeitschr. f. öster. Gymn. 1891 p. 854. Jahn proleg. p. 106 Lüttich: ‚Über die Mängel und Vorzüge der Satiren des Persius' Progr. Naumburg. p. 21.

[4]) Sine dubio Otto scribere voluit prol. Pers. 10, sed legimus apud eum Plaut. Pers.

[5]) Videtur interdum Persius propter metrum formam proverbiorum vulgarem mutasse.

ita apud nostrum V. 108 = Otto s. v. calculus. — IV. 18 ‚curata cuticula' cf. Hor. ep. I. 2, 29 alias (Otto s. v. cutis 3.) — IV. 28 ‚dis iratis vivere' cf. Hor. sat. II. 3, 27 Sen. apoc. 11 Otto s. v. deus 9. — I. 11 ‚cum sapimus patruos' cf. Hor. sat. II. 2, 97 alias.[1]) Eandem in sententiam cadit III. 96 ‚ne sis mihi tutor' e. q. s. cf. Hor. sat. I. 9, 28 et sat. II. 3, 88 (Otto s. v.)

3) De gestibus et vultibus sumpta: I. 40 ‚nimis uncis naribus indulges' et I. 118 ‚excusso suspendere naso' cf. Hor. sat. I. 6, 5 saepius (Otto s. v. nasus). I. 133 ‚si cynico barbam petulans nonaria vellat'[2]) et II. 28 cf. Hor. sat. I. 3, 133 (Otto v. s. barba).

4) Nec desunt rudia proverbia popularis sermonis: I. 103 ‚testiculi vena paterni' cf. Hor. epod. 15, 12 Petron. 44 (Otto s. v. coleus). V. 95 ‚sambucam citius caloni aptaveris alto.' V. 115 ‚cum fueris nostrae paulo ante farinae' similiter Petron. 46 ‚non es nostrae fasciae' cf. Otto s. v. terra 2[3]).

IX. Linquamus proverbia et comparationes perscrutemur, quibus plerumque e vitae cotidianae usu petitis large diatribarum auctores utebantur e more cynicorum.[4]) Atque Persius quidem has praebet.

1) Comparationes hominum cum animalibus: sat. III. 9 quo loco iuvenis e somno exterritus ministros vocat. Ubi nemo venit, dicit: ‚turgescit vitrea bilis; findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas.' Ipse igitur se comparat cum asino rudenti. Tales comparationes cum asino legi-

---

[1]) Otto s. v. patruus dicit ‚Aus dieser sprichwörtlichen Strenge der Oheime, die übrigens in ihrer Stellung als Vormünder begründet ist'.

[2]) Ad locum Persii adnotanda sunt verba Poet. lat. min ed. Bährens IV. n. 528: De Diogene picto, ubi lascivienti menetrix barbam vellit: Diogenem meretrix derisum Laida monstrat Barbatamque comam, frangit amica Venus.

[3]) Ceterum illo loco ‚Terrae est iam filius' effugit Ottonem.

[4]) Jam Bio valde adamavit comparationes cf. Henr. Weber p. 16 seq.

mus exempli gratia apud Epict. I. 19, 5 σὲ δ' οὕτως (sc. θεραπεύεις) ὡς τὸν ὄνον cf. IV. 4. 38.[1])

V. 154 seq. a piscium captura sumpta comparatio:
,en quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
huncine an hunc sequeris? subeas alternus oportet
ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.'
(conferri potest Hor. sat. II. 5, 24/5.)

Pergit deinde Persius:
Nec tu cum obstiteris semel instantique negaris
parere imperio, ,rupi iam vincula' dicas;
nam et luctata canis nodum abripit, at tamen illi,
cum fugit, a collo trahitur pars longa catenae.

Quam comparationem cum cane non raro apud diatribarum auctores invenimus cf. Sen. d. vit. beat. 16, 3 Hor. sat. II. 7, 20 et 71 seq[2]).

V. 170. ,ne trepidare velis atque artos rodere casses' cf. schol: ,artos casses dixit spissa retia, tractum a feris, quae inclusae retibus, dum ea rodunt, se magis implicant.'

IV. 13 quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
ante diem blando caudam iactare popello desinis.

Apparet hoc loco spectare Persium pavonis consuetudinem, qui ,superbe incedens caudam extendit et iactat, quod facillime ad hominis vani superbiam traduci potest'[3]. Errat scholiasta, qui dicit ,translatio est a canibus, qui cum blandiuntur dominis, caudam movent', quam rationem nonnulli viri docti sunt secuti. Persius enim popellum nominat blandum, quia blanditur Alcibiadi ,maiestate manus silentia turbae' facienti[4]). Capit Alcibiades populum nobilitate, quam stupet

---

[1]) cf. Ernest. Weber ,De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' Stud. Lips. vol. X. p. 174.

[2]) Alias eius generis comparationes invenies apud Hor. sat. II 5, 83 sat. I. 3, 26/27 ibid. 109 sat. I. 4, 34 saepius. Epict. I. 23, 8 IV. 1, 127 alias.

[3]) cf. Heckmanns ,Persiana' p. 9 et quae Heinrichius huic loco adscripsit.

[4]) nisi forte ,blande' scholiasta apud Persium legi voluit.

turba, quamquam ‚summa nequiquam pelle est decorus'. Ut enim pavonis cauda pulcherrima est, caro eius autem non bona[1]), ita Alcibiadis maiestas magna videtur popello, sed intus non est bonus[2]). Itaque utrumque stupet vulgus deceptum pulchritudine et specie formae.

2) Sequantur illi loci, quibus homines comparantur cum pueris stultis, cuius comparationis exempla praebet poeta haec: III. 16, quo loco magister invehitur in iuvenem:

cur non potius teneroque columbo
et similis regum pueris pappare minutum
poscis et iratus mammae lallare recusas?

quem ad locum adnotat Casaubonus verba Dionis Chrysost. (or. 45 par. 6) πολλοὶ κατεγέλων τῆς πόλεως . . . ὡς μειζόνων ἢ καθ'αὑτὴν ἐφιεμένης καὶ διαφερούσης οὐδὲν κατὰ τὴν ἀφροσύνην τῶν παίδων τῶν βασιλέων. Similia apud hos quoque inveni: Epict. II. 16, 39 οὐ θέλεις ἤδη ὡς τὰ παιδία ἀπογαλακτισθῆναι καὶ ἅπτεσθαι τροφῆς στερεωτέρας μηδὲ κλαίειν μάμμας καὶ τιτθάς . . cf. Hippocrat. (epistologr. Graec. ed. Hercher) p. 303: τί νηπίων ἀθυρόντων διαφέρουσι . '. Diogenis epist. (Hercher p. 244) σὺ δὲ ὥσπερ τὰ παιδία πάππους τινὰς καὶ τιτθὰς εἰσηγάγου e. q. s. Philo Jud. de plantatione 52 (vol. II Cohn-Wendl.) ἡμᾶς οἷα παῖδας. Clem. Alex. Strom. VII = III p. 338, 21 Dind. καὶ καθάπερ τὰ πονηρὰ παιδία. ibidem p. 186, 16 οἱ πολλοὶ δὲ καθάπερ οἱ παῖδες cf. protrept. p. 78, 7 Stähl. Permulta huius generis e Seneca collecta profert Weber p. 40 cf. de ira I. 2, 5 alia[3]).

Alterum exemplum legimus III. 60:

---

[1]) cf. Victor. Hehn: Kulturpflanzen und Haustiere.[6] Berlin 1894, p. 347: obgleich das Pfauenfleisch, wenigstens das der älteren Tiere, ziemlich ungeniessbar ist. cf. Hor. sat. II. 2, 23 seq.

[2]) Eandem sententiam praebet Hor. ep. I. 16, 44/45, quem noster est imitatus: sed videt hunc omnis domus et vicinia tota Introrsum turpem, speciosum pelle decora. cf. sat. II. 1, 64 seq.

[3]) cf. etiam Weber p. 17, ubi plura alia legimus ex Plutarcho aliis.

est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum,
an passim sequeris corvos testaque lutoque[1])?

3) Priusquam de comparationibus vitiorum cum morbis disseram, mentionem faciam eorum locorum, quibus Persius commemorat medicum easque res, quae vel spectant morbos vel cohaerent cum medici arte.

Medicum ipsum nominat III. 90 et 65, quo loco Craterum affert[2]).

Morbos et eius generis res legimus his locis: III. 64 ‚morbus' — IV. 44 ‚caecum vulnus' — III. 113 ‚ulcus putre' (cf. Plut. de virt. et vit. 245, 4 ἰχώρ; de curios. 342, 25 σύριγξ cf. Web. p. 11. — II. 57 ‚pituita' cf. Hor. sat. II. 2, 76 epist. I. 1, 108 Epict. III. 22, 90; IV. 11, 32 alias μύξα. — V. 58 ‚sed cum lapidosa cheragra fecerit articulos veteris ramalia fagi' quod nos dicimus ‚Gichtknoten' cf. Hor. sat. II. 7, 15 ep. I, 1, 31 Sen. ep. 78, 9 podagra et chiragra Epict. III. 22, 40 ποδάγρα Muson. p. 166 Peerlk. — I. 23 ‚cute perditus,' quod hoc loco translate positum est. — III. 63 ‚hydrops' pingitur verbis ‚cum iam cutis aegra tumebit' et III. 95 ‚surgit tacite tibi lutea pellis' ad quem locum scholiasta a scripsit ‚hydropicis luteus color est' cf. Telet. 29, 2 ὕδρωψ (ὑδρωπικός) Web. p. 11 et Hor. ep. I. 2, 34 hydropicus. — I. 56 calvus = φαλακρός Plut. de exil. 571, 17 Web. p. 11. — II. 13 ‚scabiosus' cf. quae attuli adiectiva huius generis p. 10 — II. 13 ‚acri bile tumet' = χολικός Plut. de virt. et vit. 247, 8 cf. Web. p. 11. Sen. ep. 94, 17 ‚Bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda.' Bilem saepius commemorat poeta: III. 8 ‚turgescit vitrea bilis' cf. Hor. sat. II. 3, 141 splendida bilis V. 144 ‚mascula bilis' cf. Plut. de tranq. 212, 7 χολή Epict. IV. 9, 4. — III. 107 ‚tange, miser, venas et pone in pectore dextram' cf. πυρέττω (Epict. III. 22, 73) quod in ipso responso

[1]) Recte commentatores comparant hoc cum loco illud Graecorum ‚τὰ πετόμενα διώκειν'.

[2]) Vides ex dissertatione Weberi p. 10/11 quotiens medici mentio fiat apud Teletem, Horatium, Senecam, Plutarchum.

apparet ‚nil calet hic.‘ cf. III. 100. — III. 88 ‚aegris faucibus exsuperat gravis halitus‘ et III. 99 ‚gutture sulpureas lente exhalante mefites‘ — III. 94 ‚heus bone, tu palles‘ cf. Hor. sat. II. 2, 21 pinguem vitiis albumque. — III. 98 ‚albo ventre lavatur‘ cf. Hor. od. II. 2, 15 ‚et aquosus albo corpore languor‘ — II. 72 V. 77 lippus cf. Hor. sat. I. 5, 30 saepe — V. 129 in iecore aegro III. 91 III. 107 venas.

Remedia legimus: III. 63 elleborus cf. V. 100 Hor. sat II. 3, 82 Epict. II. 15, 15 ἐλλέβορος cf. Hercher. epistol. p. 617 (Anthisthenes Aristippo) ἄπιθι εἰς Ἀντικύραν καὶ ὠφελήσει σε ὁ ἐλλέβορος ποθεὶς πολύς. — IV. 16 Anticyras sorbere cf. Hor. sat. II. 3, 82.

4) Haec hactenus. Jam comparationes enumerabo vitiorum cum morbis, quae a cynicis et diatribarum auctoribus saepe adhibebantur: legas quaeso III. 63—65 cum scholio in hunc locum ‚stulte solent quidam inveteratis vitiis medendi remedia implorare, cum utique primo cavendum sit, ne quis sanis membris morbus inrepat‘. cf. Telet. 29, 1. — VI. 78 seq. avarus comparatur cum hydropico, ut recte adnotavit Casaubonus[1]). — III. 107 quo loco optime cognoscitur quomodo corporis morbi cum vitiis sive animi morbis comparentur. — IV. 43 ilia subter caecum vulnus habes, sed lato balteus auro praetegit e. q. s. conferas quaeso Plut. de curios. 518 D ‚ἀπόρρητον νόσημα‘ Sen. ep. 80, 10. (De toto loco in altera parte fusius disseram.) — V. 129 sed si intus et in iecore aegro nascuntur domini e. q. s. (Epict. IV. 1, 86/7 καὶ τοὺς ἐν ἡμῖν τυράννους ἀποβεβλήκαμεν . .)

5) Denique comparationes ex artificiis haustas afferamus: I. 65/66 ‚scit tendere versum non secus ac si oculo rubricam derigat uno.‘ — III. 20 seq. ubi ‚hominem comparat cum vase fictili, quod non satis coctum

---

[1]) Quae comparatio in diatriba usitata erat. Jam ante Bionem (Telet. rel. 21, 9 Hense) Diogenes eam adhibuerat cf. Hensius Tel. rel. prol. XLII. Ern. Weber De Dione Chrysost. p. 167.

percutienti vitium prodit[1]). Deinde dicit: „udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri fingendus sine fine rota,“ quo loco comparat educationem cum labore figulorum[2]) cf. Diog. Laert. VI. 30 (p. 140. 21 Cob.) Heracliti epist. (Hercher p. 286) Philon. frg. 671. — V. 105/6 „et veris speciem dinoscere calles, nequa subaerato mendosum tinniat auro“? (similiter Pers. V. 24) cf. Epict. I. 20, 7 saepius et Clem. Alex. strom. III. 331 Dind. saepius, quibus de locis in altera parte fusius verba faciemus.

Exstant alia huius generis exempla velut V. 70 seq. V. 10 seq. alia.

B. De ornamentis artis rhetoricae, quae saepe in diatribis adhibentur[3]).

Haud raro in diatribis invenitur cum brevitas tum abundantia dicendi.

§ 1. Brevitas efficitur usu asyndeti sive complurium vocum sive elocutionum.

I. Complures voces Persius non ita crebro ἀσυνδέτως coniungit; exempla sunt II. 8 in prece: mens bona, fama, fides. I. 67 sive opus in mores, in luxum, in prandia regum dicere. V. 109 es modicus voti, presso lare, dulcis amicis? VI. 52/3: si mihi nulla iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis nulla manet patrui, sterilis matertera vixit. III. 103 hinc tuba, candelae. Optimum autem huius asyndeti exemplum legimus V. 134, ubi Avaritia pigrum adhortatur: Rogas? en saperdas advehe Ponto, castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa[4]).

Qua cum ratione dicendi conferri potest Muson. p. 232 Peerlk. πρόσταγμά τε γὰρ ἐκείνου (sc. τοῦ θεοῦ) καὶ νόμος ἐστίν,

[1]) cf. Heckmanns p. 8.

[2]) cf. Ern. Weber Lips. Stud. X. p. 175, ubi exempla affert huius comparationis.

[3]) Perbene illustrat diatribarum orationem Wendlandius: Philo und die kynisch-stoische Diatribe pag. 3.

[4]) Ubi asyndeton non solum in singulis vocibus, sed etiam in singulis elocutionibus (v. 135 seq.) habemus.

τὸν ἄνθρωπον εἶναι δίκαιον, χρηστόν, εὐεργετικόν, σώφρονα e. q. s. Occasione oblata e sescentis exemplis asyndeti nonnulla alia afferam: Muson. p. 179 ῥίγει, θάλπει, δίψει, λιμῷ, τροφῆς λιτότητι e. q. s. Epict. IV. 1, 5 ἄλυπον, ἄφοβον, ἀπερίπτωτον, ἀναπότευκτον. IV. 1, 60 θάνατον, φυγήν, ἀφαίρεσιν τῶν ὄντων, φυλακήν, ἀτιμίαν. Plut. de superst. 165 D ὁ δὲ θεοὺς δεδιὼς πάντα δέδιε, γῆν, θάλατταν, ἀέρα e. q. s. Telet. 40, 2 (Hense) ποιεῖ πρόσωπα ναυαγοῦ, πτωχοῦ, φυγάδος, ἐνδόξου, ἀδόξου. Hor. sat. I. 1, 39 neque hiems, ignis, mare, ferrum.

2) In elocutionibus cum asyndeti usus creberrimus sit, nonnulla exempla attulisse satis habeo: II. 45 da fortunare penates, da pecus cf. Hor. ep. I, 16, 61 quo loco precem legimus: da mihi fallere, da iusto sanctoque videri. — V. 151 indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est quod vivis cf. Hor. sat. II. 5, 93 seq. — V. 79 seq. Marco spondente recusas Credere tu nummos? Marco sub iudice palles? Marcus dixit: ita est. Adsigna, Marce, tabellas. V. 143 seq. alia.

II. Ab hac brevitate in elocutionibus adhibita non procul abest sententiarum parataxis, ubi hypotaxin exspectamus[1]). 1) Atque non raro deest particula in condicionalis sententiae protasi. IV. 25 quaesieris cf. Hor. sat. I. 1, 45 milia frumenti tua triverit area centum. — V. 189 dixeris haec inter varicosos centuriones: Continuo crassum ridet Pulfennius cf. Hor. sat. II. 6, 39 dixeris: ‚experiar', ‚si vis potes' addit et instat. — V. 78 verterit hunc dominus. — V. 84 licet ut volo vivere, non sum liberior Bruto? — V. 132 Mane piger stertis. ‚Surge' inquit Avaritia . . cf. Sen. de brev. vit. 15, 5 instat: hoc utitur. venturum est: hoc praecipit (Weber p. 52.) Telet. p. 6, 12 (Hense) κατὰ ναῦν ἄνεμος· ἐπῆραν τὰ ἄρμενα. ἀντιπέπνευκεν· ἐστείλαντο, permulta alia. Clem. Alex. protreptic. c. X. 107 εὗρες τὸν θεόν, ἔχεις τὴν ζωήν et protrept. X. 99 ἄνθρωπός εἶ . . ἐπιζήτησον . . . υἱὸς εἶ . . . ἀναγνώρισον.

2) Alterum huius brevitatis exemplum praebet Persius eis locis, quibus sententia condicionalis

[1]) cf. Kuester II p. 20, qui non omnia attulit exempla.

exprimitur imperativo.[1] . . Cuius rei afferam haec: II. 22 dic agedum Staio ‚pro Juppiter! o bone' clamet ‚Juppiter'. — IV. 52 tecum habita: noris quam sit tibi curta supellex.[2]) — V. 119 digitum exsere, peccas; conferas quaeso exempli gratia Sen. Q. N. III. 10. 4 detrahe illi calorem, rigescit. Epict. II. 12, 2 II. 12, 4 σὺ δεῖξον αὐτῷ τὴν ἀλήθειαν καὶ ὄψει, ὅτι ἀκολουθεῖ. II. 17, 22 alia. — VI. 26 occa, et seges altera in herba est; conferri potest Sen. ep. 94. 23 sana, inquit, avaritiam, et nil habebis. — VI. 58 quaere ex me quis mihi quartus sit pater: haut prompte, dicam tamen[3]).

§ 2. **Contraria huic brevitati est abundantia quaedam** non aliena a diatriba: 1) **Polysyndeton**, ut ab aliis diatribarum scriptoribus non saepe[4] ponitur, ita a Persio quoque raro adhibetur, apud quem haec sola exempla legimus. I. 71/72 corbes et focus et porci et fumosa Palilia faeno. V. 152 cinis et manes et fabula fies[5]). cf. VI. 12 V. 179 V. 114 III. 10/11.

Ex aliis haec proferam: Muson. p. 195 καὶ γὰρ ὁ παραπλείων . . καὶ ὁ κατασπεύδων . . καὶ ὁ μολυνόμενος . . καὶ ὁ . προτιμῶν . . καὶ ὁ μὴ νέμων. Epict. IV. 1, 106 χώραν καὶ οἰκήσεις καὶ τὰ ἐπιτήδεια ibid. 133. 148. Plut. de superst. 171 B καὶ ῥήματα καὶ κινήματα καὶ γοητεῖαι καὶ μαγεῖαι e. q. s.

2) **Deinde exsistit abundantia sermonis synonymorum usu vel eiusdem rei duplici mentione** ut: II. 9 sibi introrsum et sub lingua murmurat. IV. 45 da verba et decipe nervos. V. 129 sed si intus et in iecore

[1]) cf. Henr. Weber p. 31, qui hoc brevitatis signum in diatriba adhibitum esse demonstrat.

[2]) cf. Heinrich ‚Des Aulus Persius Flaccus Satiren.' Lipsiis 1844 p. 120 de hoc loco disserens.

[3]) Kuester vers. III. 107 seq. his locis inserere vult, sed hic longe aliter res se habet atque aliis in exemplis, in quibus nil nisi particula ‚si' supplenda est, cum III. 107 tota elocutio desit. Tamen non negabo hoc in versu brevitatem etiam multo maiorem esse quam in aliis.

[4]) cf. Henr. Weber p. 29 adn. 1.

[5]) Perbene hoc loco Persius iuxta asyndeta ‚indulge genio, carpamus dulcia' e. q. s. hoc polysyndeton posuit.

aegro. III. 25 purum et sine labe salinum. II. 61 o curvae in terris animae et caelestium inanes. V. 82 haec mera libertas, hoc nobis pillea donant. III. 60 est aliquid quo tendis et in quod derigis arcum (similiter Senec. de vit. b. 1. Decernatur itaque et quo tendamus et qua) alia[1]).

Similia nonnulla exempla ex diatribarum scriptoribus afferam, quorum numerus facile augeri potest. Muson. p. 200 τὸ τεθρυμμένον σῶμα καὶ μαλακόν ibid. οἱ δὲ ῥωννύντες τε καὶ κρατύνοντες p. 227 βλαβερὸν καὶ ἀσυμφέρον Plut. de superst. 166 E φρίττει καὶ φοβεῖται καὶ δέδοικεν pag. 169 D οὐ δύναται δὲ χαίρειν οὐδ' ἥδεσθαι Epict. IV. 1, 1 οὔτ' ἀναγκάσαι ἔστιν οὔτε κωλῦσαι οὔτε βιάσασθαι ibid. 11 τὸ ἄκοντά τι ποιεῖν, τὸ ἀναγκαζόμενον, τὸ στένοντα ibid. 18 οἰμώζων καὶ στένων ibid. 69 ἀκώλυτος εἶ καὶ ἀνεμπόδιστος alia (cf. H. Weber p. 31, ubi alia exempla invenies.)

§ 3. Relinquitur, ut verba faciamus de nonnullis orationis figuris, quae saepe in diatribis exornandi causa adhibentur. Nam diatribarum auctores etiam his ornamentis animos audientium sive legentium capere voluisse nemo ignorat.

I. Primus locus anaphorae tribuendus est, cuius exempla apud Persium cum nemo adhuc quantum scio collegerit, liceat mihi afferre[2]).

1) Primum enumero anaphoras in vivida narratione et descriptione positas: I. 45/6 si forte-si quid. I. 53/4 scis-scis. I. 55 ‚verum' inquis, ‚amo, verum mihi dicite de me'. I. 93/5 sic-sic. I. 115 te Lupe, te Muci. I. 121/2 hoc-hoc. II. 36 nunc Licini in campos,

---

[1]) cf. Jahn proleg. p. XLVII is [Persius] ubi e re esse videtur verbis non parcit, ab ubertate non alienus, quamquam non diffluit . . neque eandem sententiam repetere dubitat, sed ita variatam, ut maiore cum vi et efficacia eam prodat I. 36 sq. V. 96 sq. — Ad vers. I. 39 dicit Heinrichius: Der Spott, der sich ganz auslassen will, bedarf dieser Wortfülle, die hier ganz an ihrem Orte ist. Sed assentiri ei non possum, qui concludit hac re demonstrari poetam talia correcturum fuisse in retractando libro.

[2]) Šornius, qui dicit p. 19. ‚Und so hat Persius einigemale die Anapher angewandt' valde errat.

nunc Crassi mittit in aedis. II. 49/50 iam crescit ager, iam crescit ovile, iam dabitur, iam iam. VI. 45 seq. iam-iam-iam. VI. 78/9 iam triplex, iam mihi quarto, iam decies redit in rugam. II. 64/66 in versus initio: haec-haec cf. IV. 47 seq. si palles-deinde bis ineunte versu si facis-si puteal[1]. V. 1/2 centum-centum-centum. V. 8 si quibus-si quibus. V. 54 hic-deinde bis ineunte versu: hic-hic. V. 30 seq. V. 41 V. 70 V. 82 V. 132 V. 155/6 V. 185/6 VI. 12.

Saepissime ita diatribarum auctores anaphoram adhibuerunt, cuius rei nonnulla exempla exscribam: Muson p. 219 ἄμοιρα μέν — ἄμοιρα δέ — ἄμοιρα δέ ibid. ἀναιρεῖ ter positum, pag. 153 διδάσκει quater invenies, bis ἐθίζει. Epict. III. 22, 73 sexies σύ bis σέ. III. 13,13 ἄλλος quater IV. 1,89 θέλει quater[2]). Clem. Alex. protreptic. XII. 120 p. 85,5 Stähl. τοῦτο septies ibid. p. 62,29 οἱ πρῶτοι ter ibid. p. 63,29 Stähl. ὁρᾶτε ter, saepe. Gregorius Nyssen. 44 p. 1124 B (Migne) προσευχή sexies Heraclit. (epistologr. Graec. Hercher p. 281) νενίκηκα ter κατεπάλαισα bis φοβεῖται bis p. 282 οἶδα quater permulta alia.

2) Deinde in votis et precibus anaphoram adhibitam videmus: II. 9/10 o si-o si cf. Hor. sat. II. 6, 8 seq. — II. 37 hunc-hunc. — II. 45 da fortunare penates, da pecus cf. Hor. ep. I. 16,61.

3) Tum anaphora in interrogationibus posita est: I. 36 nunc non-non nunc-nunc non-nunc non I. 50 quid non-non hic-non siqua-non quidquid II. 24 seq. quia-an quia IV. 27 hunc-hunc V. 107 quaeque-quaeque V. 163 an-an I. 80 unde-unde III. 66 quid sumus-quidnam-quis-qua-qua-quis-quid-quid-quantum-quem-qua.

Ut intellegas, quam crebro alii eam posuerint, legas quaeso: Muson. p. 145 πῶς μέν-πῶς δέ-πῶς δέ p. 146 πῶς μέν-πῶς δέ-πῶς δέ-πῶς δέ cf. p. 178 p. 201 τί δέ-τί δέ-τί

---

[1]) cf. Volkmann Rhetorik der Griechen und Römer p. 468.

[2]) cf. quod attinet ad Senecam, Rauschningius p. 22—23, quod ad Teletem, H. de Mueller, ‚De Teletis elocutione.'

δ'αί-τί δ'αί-τῶν μέν-τῶν δέ p. 221 διὰ τί-διὰ τί Epict. III. 1,18 διὰ τί quinquies III. 3,18 τί octies III. 5,8 μή τί sexies Hor. ep. I. 2,3 ‚quid' quater Philo Jud. de migrat. Abrah. 137 (Wendl. Cohn vol. II.) τί quinquies 219 τί undecies τίς quater, saepissime alibi cf. de sobriet 3 (vol. II), de congressu 149 vol. III. Joann. Chrysost. 52, p. 303 (Migne) διὰ τί ἐκλήθη duodevicies ποτέ undecies p. 400 μέχρι ποτέ septies alia[1]). Clem. Alex. protrept. X. 92 = p. 69,22 Stähl. τί quater ibid. 71,17 Stähl. τίς novies.

II. Aliud anaphorae genus ἀναδίπλωσις est, quam his locis legimus: I. 11 tunc, tunc I. 120 vidi, vidi ipse, libelle III. 41/2 imus, imus praecipites VI. 68/9 nunc, nunc impensius ungue, ungue, puer, caules alia[2]).

III. Quo cum genere dicendi artissime cohaeret ille locutionis modus, quem Graeci κύκλον[3]) nominant. II. 68 peccat et hac, peccat V. 2 ubi ineunte et exeunte versu legimus ‚centum' III, 85 hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est? III. 88/9 inspice-inspice, sodes IV. 22 ut nemo in sese temptat descendere, nemo V. 143 quo deinde, insane, ruis, quo? V. 174 hic hic quod quaerimus, hic est[4]).

IV) Invenimus etiam figuram πολυπτώτου, qua vox repetitur diversis casibus. Praecipuum exemplum legimus in sat. II. 18 seq. de Jove-Jovis-pro Juppĭter-Juppiter (voc.) Juppiter (nomin). V. 79 seq. Marcus-Marco spondente-Marco sub iudice-Marcus dixit-Marce. I. 27 scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter III. 83/4 Gigni de nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti I. 128 et lusco qui possit

---

[1]) Dionis Chrysostomi exempla praebet Joann. de Arnim: ‚Leben und Werke des Dion von Prusa' p. 431 seq.

[2]) cf. Šorn p. 19, Kuester III. p. 9.

[3]) cf. Volkmann p. 471.

[4]) cf. Wölfflin ‚Die Gemination im Lateinischen' Sitzgsber. d. k. Akad. d. Wiss. zu München 1882 p. 423. ‚hic, hic sunt' Cic. Catil. I. 9.

dicere lusce. II. 71 quin damus id superis, de magna quod dare lance non possit magni Messalae lippa propago? cf. III. 67 III. 118 non sani esse hominis non sanus iuret Orestes V. 66 ‚cras hoc fiet.‘ idem cras fiet . . . iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras . . .

Quam figuram saepius in diatribis esse adhibitam intelleges e Muson. p. 220 τίς — τίνος — τίσι pag. 224 τί — τίνα — τίνος alias. Epict. III. 7, 31 καὶ τί — τὴν τίνος — τίνος — τίνι id. II. 24, 19 qui locus valde consentit cum Persii sat. III. 67 seq. τίς — ἐπὶ τίνι — ἐν τίνι — μετὰ τίνων — τίνα cf. II. 14,23 III. 8, 3—10 praebet hos casus vocis δόγμα: δόγματα (accus.) τὸ δόγμα quater nomin. τὰ δόγματα nom.) δόγματα bis (accus.) δογμάτων — δόγματα ter (accus. III. 13, 6 8 αὐτὸν ἑαυτῷ bis — αὐτὸς ἑαυτῷ — ἐφ' ἑαυτοῦ — τὴν ἑαυτοῦ — ἑαυτῷ — αὐτοὺς ἑαυτοῖς — αὑτῶν — cf. Gregorius Nyssen. 44 p. 665 (Migne) πόσου — πόσοις — πόσων — multa alia.

Appendicis loco mentionem faciamus annominationis, cuius exemplum praebeo hoc[1]:

V. 157 nec tu cum obstiteris semel instantique negaris[2]. Similiter dicit Muson. apud Gellium Noct. Att. XVIII. 2 Remittere[3], animum quasi amittere. Epict. IV. 1,55 μικροδούλους-μεγαλοδούλους. Sen. de vit. beat. 16,3 adstricti-destricti (cf. Rauschning p. 25.)

V. Etiam antithesi in diatribis non parvus concessus erat campus, qua sermoni vis iniceretur. Persius quoque ea saepe usus est non solum 1) in singulis verbis, sed etiam 2) in elocutionibus.

1) I. 64 ut per leve severos effundat iunctura ungues. I. 107 sed quid opus teneras mordaci radere vero

[1]) cf. Buchhold ‚De paromoeoseos (alliterationis) apud veteres Romanorum poetas usu‘ Lipsiae 1883 p. 21. et de nonnullis exemplis illustribus Heinsius Telet. rel. proleg. p. LXXXV.

[2]) De annominatione apud Timonem syllographum inspicias quaeso indicem Wachsm. sub voce.

[3]) Graeca lingua ἀνιέναι et ἀφιέναι.

auriculas. IV. 11/12 rectum discernis ubi inter curva subit cf. Hor. ep. II. 2,43 saepissime alibi.

2) V. 107 quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim, quae antithesis erat usitatissima cf. Lucil. 609 quid cavendum tibi censerem, quid vitandum maxume Hor. sat. I. 3,114 dividit ut bona diversis, fugienda petendis id. sat. I. 4,115 sapiens, vitatu quidque petitu sit melius, causas reddet tibi cf. sat. I. 2,75. Senec. ep. 71,2 quotiens, quid fugiendum sit aut quid petendum . . Muson. p. 246 τόδε μὲν πρακτέον τόδε δὲ οὐ. (cf. eundem p. 150 τί μὲν ὠφέλιμον, τί δὲ βλαβερόν [1]).

Idem est tritissimum illud quod dicunt Stoici ,αἱρετὸν καὶ φευκτόν'. Plut. de Stoicor. repugn. 1040 F 1042 D (αἵρεσις, φυγή, αἱρετός, φευκτός) ibid. E μόνον αἱρετὸν τἀγαθὸν καὶ μόνον φευκτὸν ἡγοῦνται τὸ κακόν [2]). cf. Philo Jud. περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον . c. 9 = 454 M αἱρετά — φευκτά· ibid. 458 M αἱρέσεις cf. eundem: Quod deus sit immut. 163 (Wendl. Cohn vol. II.) Clem. Alex. Strom. VII. 42 = III. 288, 7 Dind. ὁρμητικὸς (ὁ ἄνθρωπος) πρὸς ὁπότερον ἂν καὶ βούλοιτο τῶν τε αἱρετῶν καὶ τῶν φευκτῶν.

V. 108 illa prius creta, mox haec carbone nostasti (cf. Hor. sat. II. 3,246) I. 134 his mane edictum, post prandia Callirhoen do. III. 107 in responsis personae fictae: ,nil calet hic' et ,non frigent'. Optimum exemplum habes V. 54 seq. cf. Hor. ep. I. 18,21 seq.

VI. Sed iam desistamus ab enumeratione et in fine huius capitis afferamus aliud ornamentum, quod praecipue poetae adhibent ad exornandos versus: dico allitterationem. Eam quoque in diatribis poni demonstravit H. de Müller in dissertatione ,de Teletis elocutione' p. 72, ubi exempla huius ornamenti affert, quibus ,orationis vim et vigorem' Teles auxit. Sed etiam alii scriptores diatribarum allitteratione usi sunt velut Seneca (cf. Rauschningius p. 28) Horatius.

---

[1]) cf. Epict. IV. 13, 13 τὰς ἑαυτοῦ ἐνεργείας μόνας βλαβερὰς ἡγουμένῳ καὶ ὠφελίμους, saepius.

[2]) cf. Zeller Philos. d. Griechen III³. 1, p. 232 adn. 2 et 240 adn. 1.

Itaque non est mirum nos etiam apud Persium eam invenire saepissime.

Sed nonnulla solum exempla afferenda puto. nam adstipulor hac in re Buchholdio, qui dicit p. 36 ‚paucis manifestis exemplis iam demonstrari poetam, de quo quaestio fit, homoearcto (allitteratione) non abstinuisse'.

Exempla profero haec:

1) in copulatione I. 72 et focus et porci et fumosa Palilia faeno II. 37 rex et regina III. 75 et piper et pernae VI. 39 cum pipere et palmis alia.

2) in substantivi cum adiectivo coniunctione I. 39 fortunataque favilla I. 104 summa delumbe saliva II. 25 sulpure discutitur sacro III. 65 magnos promittere montes IV. 18 curata cuticula IV. 31 pueris plaudentibus V. 167 dis depellentibus V. 186 grandes galli permulta alia.

3) Artificiosius haec exempla formata sunt: III. 91 compositas vidit nox currere venas III. 116 face supposita fervescit sanguis II. 20 quis potior iudex puerisve quis . . . III. 93 lenia loturo sibi Surrentina VI. 24 tenuis sollers turdarum nosse salivas.

Multa exstant alia exempla, quae afferre longum est.

C. De eis figuris, quae quamvis adhibitae hic illic ab aliis scriptoribus, omnes una solum apud diatribarum auctores inveniuntur, dico: prosopopoeiam, convicia, διαλογισμόν, homilias.

§ 1. I. Non ita raro abstracta quasi personae inducuntur quae verba faciunt et homines admonent:

V. 96 stat contra Ratio et secretam garrit in aurem,
ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.

quocum conferas quaeso Sen. ep. 84,11 hanc (i e. rationem) si audire volueris, dicet tibi.: relinque ista . . . . sat. V. 132—153, ubi sermonem legimus Avaritiae et Luxuriae, quae invehuntur in pigrum, eum seducunt et adhortantur[1].)

[1]) cf. Ern. Weber Stud. Lips. X 170 ‚anonymus personas quasi in scaenam deductas ut actores orationes habere iubet eadem ratione qua Crantor, Bion, saepius Lucianus.'

Tales orationes invenimus saepe apud Teletem, Philonem, Plutarchum, Horatium, Senecam [1]).

II. Non solum rerum [2]) fingitur sermo, sed etiam:

1) di et homines ipsi in diatribis introducuntur.

Ita Socrates, quem saepissime scriptores diatribarum loquentem faciunt (velut Sen. de vit. beat. 25,4 alibi, Epictet. I. 9, 23) adhortatur Alcibiadem in sat. IV. vers. 1—22.

Aliud exemplum exstat V. 103 exclamet Melicerta perisse frontem de rebus. III. 1 seq. introducitur, ut ait scholiasta, ‚paedagogus obiurgans scholasticum.'

Unum praeterea exemplum appono, quod invenitur in sat. V. 161 seq. ubi Persius inducit Chaerestratum cum Davo colloquentem, quo de loco postea fusius disseram.

2) Similiter saepe inveniuntur verba hominum, quibus ipsi recta oratione secum loquuntur, qua in re scriptor plerumque pronomen ‚sibi' ponit, interdum omittit velut:

II. 8 seq. mens bona, fama, fides· haec clare et ut audiat hospes
illa sibi introrsum et sub lingua murmurat ‚o si' e. q. s.

III. 39 seq. cf. 41 ‚imus,
imus praecipites' quam si sibi dicat et intus
palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?

V. 60 seq: tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.

IV. 30 Vettidius avarus ingemit: ‚hoc bene sit'

Verbum dicendi deest hoc loco:

---

[1]) cf. Henr. Weber p. 22. Multa etiam de prosopopoeiis attulit Eduardus Norden in dissertatione ‚In Varronis satiras Menippeas observationes selectae' in Jhrb. f. class. Philol. suppl. XVIII pag. 344—346. De Philone cf. Wendland ‚Neu entdeckte Fragmente Philos' Berlin 1891 p. 140 seq.

[2]) De eius generis prosopopoeia, qua res aliquid facientes inducuntur, nihil proferam, quia hoc magis consuetudinem poetarum spectat. Exempli gratia conferas: II. 50/1 donec deceptus et exspes nequiquam fundo suspiret nummus in imo, nisi forte hoc modo poeta verba distinxit ‚nequiquam fundo' suspiret ‚nummus in imo'. III. 90/2 V. 82 V. 90 V. 33 alia.

II. 48 et tamen hic extis et opimo vincere ferto
intendit ,iam crescit ager, iam crescit ovile,
iam dabitur, iam iam.'

Adiungo nonnulla, quae mihi occurrerunt exempla ex aliorum scriptis. Hor. Sat. II. 6,34 seq. ubi Horatius verba secum reputat, quae ad eum fecerunt orantes. sat. II. 6, 59 seq. sat. I. 1, 66 seq. sat. I. 4, 134 sat. I. 9. 11 saepius. Senec. de ira II. 28, 6 (qui locus similis est Persiani III. 41) utique se sibi tacitus ad singula, quibus offenditur, dixerit ,haec et ipse commisi' de ira III. 24, 1 dicat itaque' sibi quisque e. q. s. Epict. III. 22, 32 καὶ ὅταν τι τῶν ἀλλοτρίων κακῶς ἔχῃ, λέγει ,οὐαί μοι, οἱ γὰρ Ἕλληνες κινδυνεύουσιν' idem IV. 6, 34 εὐθὺς ἀναστὰς ἕωθεν ἐνθυμοῦ ,τίνα μοι λείπει πρὸς ἀπάθειαν'; e. q. s. II. 21, 9 καὶ αὐτὸν οἶμαι ἐφιστάνειν ἄξιον συνεχὲς ,μή που καὶ αὐτὸς εἷς εἰμι ἐκείνων'; e. q. s. cf. II. 21, 13 II. 18, 15 III. 13, 13. Plut. de superstit. 168 F ὁ δὲ δεισιδαίμων οὐδενὸς ἀκούσας, αὐτὸς πρὸς αὑτὸν εἰπών, ,ταῦτα πάσχεις, ὦ κακόδαιμον, ἐκ προνοίας καὶ θεοῦ κελεύοντος'.

3) Altera ratio huius inductionis personae fictae ea est, qua vulgus sive unus e vulgo sententiam profert oratione recta. Exempla habes haec: sat I. 63 seq. legimus sermonem populi ,scit tendere versum non secus ac si oculo rubricam derigit uno' e. q. s. III. 77 seq. [1]) hic aliquis de gente hircosa centurionum dicat ,quod sapio, satis est mihi' e. q. s. cf. I. 32 hic aliquis. VI. 18 discrepet his alius. II. 37 dicit avia stolida: ,hunc optent generum rex et regina, puellae hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat'. cf. II. 45 seq. et 49 seq. II. 56 quo loco comperimus, qua de causa deorum facies auro ovato ornentur:

,nam fratres inter aenos
somnia pituita qui purgatissima mittunt
praecipui sunto sitque illis aurea barba'.

alia velut III. 88.

[1]) Quintilianus IX. 2, 36 est et incertae ficta personae oratio ,hic aliquis' et ,dicat aliquis' cf. Weber p. 23 adn. 2.

Nonnulla similia ex aliis diatribis sumpta protulisse satis sit. Muson. p. 247 ἂν δέ τις ἐρωτᾷ με, τίς ἐπιστήμη τῆς παιδείας ταύτης ἐπιστατεῖ. . . Hor. sat. I. 2, 23 si quis nunc quaerat e. q. s. sat. I. 3, 19. Epict. II. 6, 2: ὅταν εἴπῃ τις ὑμῖν II 9, 16 ἤ τῶν παρόντων τις καταγελάσῃ ἡμῶν ποῦ ἐστι, φιλόσοφε . . . II. 19, 5 ἂν οὖν τίς μου πύθηται σὺ δὲ . . . quem numerum facile augere possum.

§ 2. Saepissime autem dialogus[1]) instituitur, qui exsistit:

1) cum quaestione alicuius recta oratione prolatae respondetur verbis rectis: II. 17 heus age, responde . . . de Jove quid sentis? — ‚cuinam?‘ V. 83 ‚an quisquam est alius liber?‘ e. q. s; habes responsum stoici in versu 85. IV. 25 quaesieris ‚nostin Vettidi praedia?‘ ‚cuius‘ e. q. s. eo modo, ut poeta adversarium[2]) sibi fingat.

2) Certe plerumque hic adversarius ἀόριστον πρόσωπον est, ut ex poeta ipso audimus: I. 44 quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci, quo cum loco[3]) consentit VI. 41 ubi colloquium instituit avarus cum herede:

‚at tu, meus heres
quisquis eris paulum a turba seductior audi‘

(conferri potest Epict IV. 1, 47 ubi alloquitur adversarium ἐλθὲ εἰς τὸ μέσον καὶ εἰπὲ ἡμῖν.

a) Inducitur adversarius voce inquit (V. 85) ait (I. 40, I. 85.) inquis I. 55 (I. 112 VI. 51.) Non omittantur

---

[1]) cf. Lüttichius ‚Über die Mängel und Vorzüge der Satiren des Persius‘ Progr. Naumburg. 1877 p. 20: Kein Dichter wendet die dialogische Gesprächsform häufiger an als Persius.

[2]) cf. Schlüter ‚de satirae Persianae natura et indole‘ Progr. Andernach. 1886 p. 12/13.

[3]) cf. Hirzel Der Dialog II. p. 36 ‚Auch keine andere Persönlichkeit duldet er (Persius) neben sich, selbst der schwache Schein einer solchen, der sonst durch die fingierten Einwürfe eines ungenannten Gegners oder Hörers erregt zu werden pflegt, wird von ihm durch das höchst charakteristische quisquis es, o modo e. q. s. (I. 14) gestört. Damit war tatsächlich für ihn selber und das Publikum der Dialog in ein Selbstgespräch verwandelt. Quibus verbis assentiri non possum.

haec exempla aliter formata: V. 113 ,haec mea sunt, teneo' cum vere dixeris . . et V. 158 ,rupi iam vincula' dicas[1]).

b) Persaepe adversarius nullo verbo dicendi posito inducitur, cuius rei multa exempla apud Persium legimus: I. 2 I. 22[2]) II. 17[3]) II. 46 III. 94 III. 108 IV. 46 V. 5[4]) V. 66 V. 79 V. 124 VI. 37.

Similia habes haec Epictetea: II. 6, 6 II. 6, 20 II. 7, 6 II. 14, 14. alia.

§ 3. Iam, si placet, breviter agam de sermone in adversarii inductione adhibito:

1) Primum interrogationi adversarii non respondetur, sed aliae interrogationes opponuntur ei: III. 15 seq. o miser . . . recusas? ,An tali studeam calamo?' cui verba? quid istas succinis ambages? IV. 25 seq. V. 168 VI. 68 II. 18 I. 22 seq. alia.

2) Deinde adversario contradicenti respondetur interrogatione[5]) conferas I. 2 ,nemo hercule'. ,nemo?' I. 3 ,turpe et miserabile' ,quare?' e. q. s. III. 109 seq. ,non frigent' visa est. . cor tibi rite salit? V. 87 seq. V. 124 V. 171 alia.

§ 4. Restat, ut enumeremus convicia quibus Persius invehitur in adversarium et auditores more cyni-

---

[1]) Ex aliis scriptoribus diatribarum exempla afferre non opus est, quoniam res est notissima.

[2]) quo loco poeta in eum, quem modo descripsit, quasi praesentem adversarium invehitur.

[3]) ,Persius descriptione interrupta eum, quem modo precantem fecit, praesentem fingit eumque his verbis alloquitur ,heus age, responde' Jahn.

[4]) ,mirabundus ex eo quaerit, quem praesentem fingit, Cornutus' Jahn.

[5]) Alacritas dialogi, qui hac introductione adversarii exsistit, eo magis augetur, quo celerius elocutiones se excipiunt. Legas quaeso: I. 2 seq. II. 15 seq. IV. 25 seq. V. 132, 153 I. 110 seq. III. 94—97 V. 77 seq. V. 167 VI. 49. Complures interrogationes ponuntur: I. 36 seq. I. 50 seq. I. 87 seq. II. 23 - 30 III. 57 seq. saepius. His interrogationibus saepe demonstratur stultam esse opinionem vulgarem.

corum: I. 22 vetule — I. 56 calve[1]) — II. 46 quo, pessime[2]), pacto cf. Hor. sat. II. 7, 22 quo pacto, pessime? Plut. de cupid. div. 360, 21 ὦ πονηρέ (Weber p. 24.) — III. 66 quo loco eos, qui philosophiae non student, his verbis alloquitur: discite, o miseri (cf. III. 15 et 107) cf. Hor. sat. II. 7, 81 sat. II. 3, 14 Sen. Q. N. V. 18, 9 miseri, quid quaeritis?' Est idem, quod Graeci dicunt ,τάλας' quam vocem Epictetus saepe adhibet[3]) sive ταλαίπωρος (Epict. III. 22, 26 alibi, Plut. de superst. 166 D) sive κακοδαίμων (Epict. frgm. XIII. 5 cf. etiam Stud. Lips. X. 209) sive δύστηνος Epict. II. 13, 23. — III. 20 amens Hor. sat. II. 3, 107 ,delirus et amens' cf. Epict. μωρέ, quod saepius dicit velut III. 13, 17 Sen. ,stulte' de benef. VII. 28, 3 — V. 143 insane cf. Hor. sat. II. 3, 184 saepius Epict. μαινόμενος I. 28, 33 I. 12, 11 alia. — IV. 47 improbe cf. Hor. sat. II. 2, 104 — V. 124 tot subdite rebus cf. Hor. sat. II. 7, 70 o totiens servus. — V. 127 nugator — V. 138 baro.

§ 5 Non raro poeta eam praebet figuram, quam vocant διαλογισμόν. Interrogat aliquid et responso ab adversario sive auditore nondum dato ipse interrogationi respondet[4]). Exempli gratia legas: I. 50 seq. ubi tota sententia hunc in modum est composita, exscribo solum I. 55 ,verum mihi dicite de me'. Tum scriptor interrogat: qui pote? vis dicam? et responso non exspectato pergit ,nugaris e. q. s.

I. 87 quo loco interrogatio sequitur interrogationem et in versu 91 demum responsum datur.

II. 60 seq. II. 68 at vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
IV. 38 seq. alia.

---

[1]) cf. Plut. de exsil. 571, 17 φαλακρός.

[2]) non tenenda est sententia Heinrichii, qui dicit in commentario ,Pessime Tor, kein Schimpfwort, sondern mit Bedauern und Unwillen gesagt'.

[3]) cf. Schenkl Ind. in Epict. s. v.

[4]) cf. Volkmann Rhetorik der Griechen u. Römer p. 493.

§ 6. Denique dignae, quae comparentur, sunt homiliae, in quibus plerumque proponitur argumentum, de quo disserere in animo habent auctores. Sed Persius saepius argumentum tum demum ponit, postquam exordium absolvit velut in satira quinta, ubi invenies id in versu 73 ‚Libertate opus est.'

Item in satira quarta scaena quasi fabulae ad finem perducta argumentum praebet verbis (vers 23/4):

Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

In satira secunda legimus argumentum, postquam poeta Macrinum allocutus est, in versibus 3 seq.

Exstat etiam locus, quo Persius subito ad omnes auditores se vertit et eos adhortatur, quos circumstantes sibi fingit in sat. III 64 seq:

venienti occurrite morbo,
et quid opus Cratero magnos promittere montes?
discite, o miseri[1]), et causas cognoscite rerum e. q. s.

Talem homiliam e Seneca attulit H. Weber p. 62:[2]) ‚ubi oculis quasi videmus philosophum vulgi, quae circumstat, turbam . . castigantem.

Alia, quamquam brevis, illa est in satira quinta vers. 64/65, ubi poeta subito alloquitur pueros et senes, quasi adessent, verbis: petite hinc puerique senesque Finem animo certum miserisque viatica canis.

Sed hic subsistamus, nam signa stili diatribae omnia ad unum enumerare nolo, quia vel ex eis, quae attuli apparere crediderim Persium, quod attinet ad stilum, diatribarum auctores sequi.

[1]) Breviter commemoro Persium modo unum, modo complures alloqui (cf. III 66 et 71), quae ratio diatribae propria est, Ern. Weber Lips. Stud. X. p. 215. Optime hac de re disseruit Joann. de Arnim ‚Leben und Werke des Dio von Prusa' p. 252 et 253: Der Philosoph beginnt vor einem grösseren Zuhörerkreis mit zusammenhängender Ansprache. Im Verlauf derselben bemerkt er einen oder den anderen besonders lebhaft interessierten Hörer e q. s.

[2]) est epistula Senecae 89, 19 seq.

CONSPECTUS LIBELLI.

VITA.

Natus sum Carolus Augustus Eichenberg Bonnae a. d. XVI. Kal. Febr. anni 1880 patre Carolo Augusto, matre Theresia e gente Haas, quos parentes dilectissimos praematuro fato mihi ereptos esse quam maxime doleo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus adii auxilio amitae dilectissimae, quae summo meo dolore diem supremum obiit a. 1903, gymnasium Ligniciense autumno a. 1891, quod maturitatis testimonium adeptus vere anni 1900 reliqui et Vratislaviam me contuli philologicis studiis operam navaturus. Anno 1901 Bonnae per sex menses moratus Vratislaviam redii.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Bobertag, Bohn, Buecheler, Caro †, Cichorius, Dahn, Ebbinghaus, Elter, Foerster, Freudenthal, O. Hoffmann, Kaufmann, Kükenthal, Loeschcke, Luckwald, Muther, Nissen, Norden, Radermacher, Schücking, Schulte, Semrau, Skutsch, Solmsen, Stern, Usener, Wilcken, Wolff, Wuensch, Zacher.

Proseminarii philologici sodalis fui per quattuor semestria moderantibus Eltero, Nordenio, Skutschio, seminarii philologici ut sodalis essem ordinarius per quattuor semestria mihi concesserunt Foerster, Norden, Skutsch.

Praeterea ad exercitiones archaeologicas me admiserunt Foerster et Loeschcke, ad historicas Caro, Cichorius, Nissen, ad philosophicas Freudenthal.

Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam in primis autem Skutschio, qui huic opusculo operam curamque impendere non desiit, et Cichorio, qui me identidem haesitantem benigne docuit.

Philologorum sodalicium Vratislaviense semper recordabor, in quo amicorum carorum commercium cum fructuosum tum dulce mihi contigit.

THESES.

1. In Persii sat. V. 150 cum Buechelero (arch. lexicogr. lat. I p. 108) legendum est ‚decunces'.
2. Pers. III. versus 27—31 coloribus a Maecenate sumptis ornati sunt.
3. In Mimnermi carmine XII. 1 (Bergk. poet. lyr. Graec.[4] vol. II) tenenda est lectio codicum: ‚Ἠέλιος μὲν γὰρ ἔλαχεν πόνον ἤματα πάντα' (cf. Hom. B. 39 T. 49).
4. Epict. IV. 1, 95 in textu ponenda sunt verba: εἶτα ἐὰν γένωμαι, μὴ καὶ οὗτος θνητός ἐστιν; καὶ οὗτος θνητός.
5. Maecenatis verba (Senec. ep. 114. 5) ‚ut cervice lassa fanantur nemoris tyranni' non de cervis similibusve feris nemoralibus, sed de Gallis intellegenda sunt (cf. Firmic. Matern. de errore prof. relig. c. 4).